



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Ivdex.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

vsuras, vt diximus: deinde in fide in-
struatur, & illius perseverantia expe-
riatur, ne tepescete illo seruire, ad vo-
micum redeat.

IVDEX.

1 **I V D E X** omnis, vel est ordinarius,
vel arbitrarius, vel delegatus, vel
subdelegatus, & omnes ad istos redu-
cuntur ex doctrina S. Tho. secunda se-
cunda. quaestio. 67. ar. 1. & de verbo-
rum signific. ca. forus. & quilibet, cui
non est prohibitum, potest esse iudex,
ar. cap. cum apud. de spon. Prohiben-
tur autem sui iuris, mutus, perpetuo fu-
rosus, impubes, femina, seruus, ex-
communicatus, consanguineus rei,
inimicus actoris, vel alia causa sus-
pectus, & imperitus, seu illiteratus; De
his Pan. in ca. schismaticus. de rescrip.
Contra tales potest fieri exceptio.

2 **S O L E N T** iudices in his specialiter
peccare, videlicet scienter iniuste iu-
dicantes, vel ex ignorantia, quam po-
tuerunt vitare studendo, vel consulē-
do. Secundò, quando iudicant non
seruato iuris ordine, maxime in essen-
tialibus necessario (vt puta) cum suf-
ficientibus testibus, & huiusmodi: e-
tiam quod iuste iudicent. Tertio,
quando vsurpant officium, iudicantes
personam non sibi subditam, vel de
occultis, quæ tantum nouit Deus, vel
quæ non possunt probari. Quarto, si
remittunt pœnas, non punientes ma-
lesicia, ex auaritia, vel auaritia, vel
alio malo respectu: vnde grauiter læ-
ditur republ. & ipsi sunt rei omnium
malorum, quæ fiunt, propter suam
indiferentiam pietatem. Quintò, quan-
do differunt administrare ius, præci-
puè petitum, quia etiam non petitum
facere tenentur, & inuigilando, rem-
publicam malis hominibus purgare,
& de omnibus clamnis exinde parti
exortis propter eorū dilationem, vel
negationem iustitiæ satisfacere, & in
omnibus prædictis mortaliter agunt,
vt dicit Caieta. ibi in summa, quia cõ-
mittunt iniustitiam, quæ ex suo gene-
re mortalis est: quia contra ius diui-
num, humanum, & naturale est. Et
ex hoc, quasi infinita committunt pec-

cata, secundum causas quas tractant.
Peccant etiam, si non seruant recta sta-
tuta ciuitatum, & leges, maxime quæ
iurauerunt seruire. Dicamus nunc
magis particulariter, vt eorum culpæ
magis appareant.

3 **I V D E X** non potest ordinariè iudi-
care sine actore. capit. legimus. de accu-
sa. sed bene extraordinariè. Aliquando
euidencia facti accusat, vt quando iu-
dex videt, & in inquisitione infamia
tenet locum accusatoris. c. euidencia. de
accusat. in denuntiatione nõ procedi-
tur contra reum, sed pro reo ad corre-
ctionem, ideo non requirit accusato-
rem, secundum Tho. secunda secun-
da. quaestio. 67. supra. Inquisitio. §. 6. 8.
Denunciatio §. 2.

4 **I V D E X** in causa ciuili non potest
compellere partes ad compositionem,
nec etiam princeps, ordinariè. l. 1. ff.
de noui. operis. nuntiatio. nisi litis es-
set nimis longa, & ita perplexa, quod
de facili finiri non posset. cap. placuit.
90 d. Nec cum bona conscientia. Po-
test absolute reducere partes ad com-
positionem; quando iura partium
sunt clara, vt quia conclusum est in
causa, & iudex scit pro qua parte de-
bet ferre sententiam, secundum Ioan.
And. nisi quando iura partium sunt
ignota, secundum Speculat. vt dicit
Panormitan. in capitul. final. de tranf.
vel ex alijs circumstantijs posset face-
re, vt quando aduersa pars, quæ ius
non habet, est potens, & posset ap-
pellare. & sic alteram partem paupe-
rem multum lædere, & tunc præsu-
mitur quod melior est compositio,
& sic potest hortari ad compositio-
nem, cum melior sit, quam litis profe-
cutio.

5 **I V D E X** ex debito officij tenetur
purgare prouinciã prauis hominibus.
l. congruit. ff. de offic. præf. quod si
non facit, tenetur de negligentia.
Quomodo debet inquirere delicta,
vide Bald. in l. Gallus. ff. de liber. &
posthu.

I V D E X ordinarius, vel delega-
tus ecclesiasticus, iudicando, pro suo
labore de iure canonico nihil potest
pete-

petere. de vi. & ho. ele. ca. cum ab omni. & per Pan. & lo. And. ibi. de delegato. & de ordinario. Est etiam glo. in ca. non licet. 11. q. 3. Et si aliquid receperit præter comestibilia, & potabilia, quæ in paucis diebus consumi possint tenetur restituere, nec potest liberari ex remissione dantis. arg. in d. c. statutum. de rescri. l. 6. Et si restituat in fraudem, vt inde iterum donentur, non liberatur, secundum gloss. in d. c. statutum. Secus est, quando sine fraude facit, & ille post iudicium factum liberaliter donat, saluatur secundum d. gl. De iure vero ciuili, ordinarius secularis petit sportulas, nec aliud potest petere. c. offerat. 3. q. 3. quæ sportulæ, id est, munera, quæ, vel quanta sint, à lege non est definitum: vt authen. generaliter C. de epi. & cle. Delegatus verò etiam à principe, quando causa excedit centum aureos, non habebit nisi 4. aureos, duos à principio. & duos in fine, quod si non excedit, nil habebit. Authen. de iudicis. §. ne autem labor. exceptis comestibilibus, & potabilibus, secundum gloss. in d. ca. cum ab omni. si liberaliter sunt oblata, & in paucis diebus consumptibilia, secundum gloss. in d. ca. statutum: omnia autè alia munera iudices omnes accipere prohibentur, quantumcunque parua. ff. de offi. pæsi. li. plebiscito, & accepta tenentur restituere, siue receperint, vt iudicem, siue vt causam expediant, capitul. exigit. de censibus. libro 6. supra, dominus. §. ultimo.

7 A L I I officiales inferiores, & nuntij, maxime quando non habet redditus deputatos, possunt recipere secundum consuetudinem. Assessor verò salarius si aliquid recipit, tenetur restituere. ar. in d. c. cum ab omni. supra, dominus. §. 13.

8 S I iudex secularis extra domum habet proficisci, & etiam testes, possunt petere expensas, etiam si sit ecclesiasticus delegatus. in d. c. statutum & 4. q. 3. §. venturus. quia nemo cogitur militare sumptibus proprijs: cum moderate tamen tali, ne partes enormi-

ter lædantur. ar. 10. q. 3. cap. illud. Delegatus verò ordinarius ecclesiastici, cum proficiscitur, habebit expensas pro victu, & victuris equorum, & huiusmodi: nisi sit delegatus ad causatum vniuersitatem, vel ad vnam, & maliciose: quia tunc ordinarius providebit de proprio. ar. in ca. inter cætera. de offi. ord. non autem ordinarius ecclesiasticus cum proficiscitur habebit expensas, nisi cum proficiscitur pro consecratione ecclesiæ, vt in cap. cum sit Romana. de simo. vel cum visitat provinciam suam. capit. cum Apostolus. de cen. libr. 6. Si tamen delegatus ecclesiasticus non habet redditus, vel beneficium ecclesiasticum vnde viuat, potest petere id, quod posset iudex delegatus principis, vt dicit Panor. in d. c. cum ab omni.

9 I V D E X ordinarius, aut delegatus, quando potest petere expensas, non tenetur computare illas, quas domesticis, secundum Panor. in dicto ca. cum ab omni. & hæc opinio est benignior, licet gl. in eodem ca. dicat quod tenetur. Hæc opinio est securior, altera verò magis vera. Consuetudo, quæ datur sportulæ ordinario, & delegato, siue præcesserit exactio, siue non, non excusat eos. secundum Panor. in dicto capitul. cum ab omni. per illum text. licet Car. in d. cap. statutum. in cle. de elec. dicat quod excusat, quod non præcesserit exactio, & quod possunt compelli ad obseruandum laudabilem consuetudinem, allegans ea ad Apostolicam, de simo. Sed illud ca. loquitur in spiritualibus, vbi videtur se obligare, quia est suus parochianus: concordat Barto. in li. cum de in rem verso. ff. de vsu.

10 I V D E X ecclesiasticus ordinarius, non potest pro assessore petere salariū quia ipse tenetur scire canones de quibus agitur coram eo, ideo si nescit, provideat de suo. Delegatus tamen cum indiget vere assessore, potest petere, cessante omni fraude, in d. cap. statutum. §. assessore. quod si fraudulenter petit ultra mortale, tenetur restituere. Potest tamen petere pro nota-

sio, dummodo non participet in luro in d. cap. statutum.

¹¹ **D** A N S aliquid iudici, vt eum corumpat, non potest repetere illud: secundum Panor. in d. ca. cum ab omni. in gloss. 1. quia turpitudine ex utroque est. Si dedit, vt iustam det sententiam: quia alius nolebat dare, vel ne det iniustam, vel vt ius suu conferuer, quod licet: quia redimit vexationem suam: secundum Panor. vbi supra. potest repetere. cap. nemo. de sino. quia hic non stamus presumptioni, sed veritati. Si autem dedit, vt simpliciter iudicet, non repetere poterit: nam principalem causam amittit. ff. de condict. ob cau. l. 2.

¹² **I** V D E X ecclesiasticus quicumque, qui contra iustitiam in grauamen alterius partis in iudicio quicquam facit, per gratiam, vel sordes, puta per pecuniam, suspensus est per annum ab executione officij, & debet condemnari in quantum læsit partem, & si durante suspensione se ingerit diuinis, fit irregularis, nec potest dispensari, nisi per Papam. capitul. cum etiam. de reg. iur. libr. 6. Peccat etiam in hoc, cum contra iustitiam agat, & grauitur.

¹³ **H** A B E N S causam iustam, & dans iudici pecuniã, vt iudicet pro se: quia aliter non vult iudicare, non peccat: quia redimit suam vexationem: secundum Panor. in d. ca. cum ab omni. Nec est simonia: quia non dat temporale, vt acquirat spirituale: quia iam ius, quod redimit, habebat. Secus esset si per sententiã de nouo acquireret supra, §. n. concordat. Glo. in cap. videntes. l. q. 1.

¹⁴ **I** V D E X tenetur ad restitutionem patri læsæ, si ex eius negligentia, dolo, vel lata culpa damnum aliquod incurrat: secundum glo. in ca. quonia. contra. de proba. Ibi Panor. mita. dicit esse verum in foro animæ: quia ex sua culpa proximum damnificat. Aduocatus. §. 11. Secus est in delegato, qui ex obedientia iudicat sicut scit, & informatur ab assessore, dummodo fauiat bona fide, non tenetur ad aliquid,

etiam quod iniuste iudicaret, sed assessor tenetur. li. 2. ff. quod quisque iur. Dummodo non fuerit negligens, nec in dolo in eligendo assessorem, qui reputabatur sufficiens, & bonus, & ita credidit, alias non excusaretur. Negligentia autem facit iudicem culpabilem, quando causam finire negligit, vel habere notarium, vel aduocatis, vt tenetur, non prouidet, non curat studere pro casibus concurrentibus, & pro eis, quæ ad officium suum pertinent. Sed multo plus dolus facit eum culpabilem, & teneri de omni damno. C. de pœn. iudici. l. nouo iure. Si est iudex ecclesiasticus ordinarius, vel delegatus, & talia agat contra conscientiam, & iustitiam, est suspensus per annum ab executione officij. per cap. cum etiam. de reg. iur. libr. 6. vt supra §. 12.

¹⁵ **I** V D E X secularis tenetur iudici ecclesiastico prestare brachium seculare, quando eius subditus resistit de facto contra ius: fecus si de iure, & ille ad superiorem appellauit. Panor. in capitul. 1. de offic. ordina. Idem quando vexat exemptum ostendentem suam exemptionem, non tenetur iurare. Et not. secundum Felin. in capitul. 1. de sponsalib. quod quando iudex ecclesiasticus potest per se exequi, non debet vocare tale auxilium: quia iura dicunt dum loquuntur de hoc auxilio, si opus fuerit, vel neesse.

¹⁶ **P** O S T lãtam sententiã definitiuam, iudex non potest illam mutare, nec corrigere, licet si sit de maioribus, possit eam declarare: secundum Panor. mita. in capitul. 1. de postulatio. in gloss. non autem si sit de inferioribus, & arbiter: secundum eundem. Interlocutoriam autem bene potest corrigere, & reuocare. in capitul. qualiter & quando. el. 1. de accusa. Excipiuntur inquisitores, qui sunt priuilegiati. in capitul. vt commissi. de hæret. libr. 6. & in gloss. infra, verb. mutandi. supra, Arbitr. §. 19. infra, sententia. §. 3.

17 **I**VD EX non condemnans partem aduersam in expensis, si fuit petitur hoc ab altera parte, tenetur de suo restituere. C. de iudi. l. sancimus. quod limitat gloss. in capitul. final. de rescrip. Et not. quod iudex iurat iudicare secundum quod sibi videbitur, ibi est, secundum bonum iudicium, optimè legibus informatum. & non ut sibi placet: secundum Panormita. in capitul. 1. de postu. in glos. verbum enim, videtur, rationis discursum importat.

18 **I**VD EX secularis nullam iurisdictionem potest habere in clerico, vel persona exempta, neque in civilibus, neque in criminalibus. C. de epis. & cleric. authen. statuimus. Vnde clerici non possunt in suum iudicem consentire, nisi sit persona ecclesiastica, & de consensu Episcopi sui. capit. significasti. de foro competent. Nec exemptus potest renuntiare privilegio exemptionis: ut dicit Panormitan. in di. capit. significasti. quia exemptio non fuit indulta in merum fauorem exempti, sed etiam in fauorem superioris, ex quo infert Panormitan. ibi, quod Episcopus non potest absoluere exemptum ab excommunicatione, etiam quod renuntiat exemptioni, & multo fortius moniales: quia fortiora privilegia communiter habent, & cautela validiori defendendæ sunt.

19 **S**i clericus conueniat laicum coram iudice seculari, & secularis reconueniat clericum, & iudex ferat sententiam in civilibus contra clericum, tenet sententia: quia factus est suus iudex per reconuentionem. de mut. peti. ca. 1. & 2. & 3. q. 3. cap. cuius agendo, criminaliter autem non potest reconueniri. cano. neganda. 3. qua. st. 2. intel. lige communiter: quia fallit, quando clericus est traditus curiæ seculari, & quando interuenit Episcopalis auctoritas. gloss. autem summaria, quæ ponitur 2. q. 1. in principio. ponit duos alios modos, videlicet in causa feudi, & quando est incorrigibilis. cano. nec licuit. 17. distin. Idem dicitur

quod ad monachos si interueniat Abbatibus licentia. vide Panor. de iudi. ibi. ca. si clerici.

20 **S**i clericus, qui communiter pro clerico habetur, capitur à iudice laico propter maleficium, & deprehenditur cum tonsura, & habitu clericali, debet incontinenter restitui curiæ ecclesiasticæ, cum cognitione causæ de clericatu probante aduersario, si verò ante deprehensionem se gereret pro laico, & sic communiter habeatur, etiam quod tempore deprehensionis fuisset in habitu clericali, nõ est restituendus, donec de clericatu fidem fecerit, interim processus iudicialis quiescet. in ca. si iudex, de sententia. commu. in sexto.

21 **I**NCORRIGIBILIS processu contra quem si isto interim fiat clericus, nõ prodest allegare clericatũ. ff. de iudi. l. si quis postea, tam in text. quam in glos. quantum ad executionem in rebus factam, quod autem persona capi possit detineri in carceribus, & decapitari, ferri non potest, cum persona clericalis sit exempta, nisi prius degradetur. l. dicit de omni religioso professo, qui mortuus est mundo. l. Deo nobis. C. de Epis. & cleric. nisi professionem in carceribus faceret, ut not. Ioan. And. ibi. ibi. lem.

22 **A**D delegatus Papæ delinquens in sua delegatione possit coram ordinario loci conueniri. vide Panor. in cap. si. de rescrip. & Ioan. And. ibi. & Athen. qua. in prouincia. C. vbi de e. agi oportet.

23 **L**AICVS laicum sub Papa in reuocabili conueniri non potest. Panormitan. c. licet ex suscepto. de foro competent. si ex consuetudine. cap. si clericus. de foro. competent. vel in terris subiectis ecclesiæ, quod ad iurisdictionem temporalem, ut ibi, vel quando causa spectat ad iudicem ecclesiasticum de re. cap. tua. de ordi. cogni. vel quando vacat imperium, & causa ad imperatorem spectat, ut in dict. cap. licet. vel propter principis negligentiam in ministranda iustitia. in dict. cap. licet. vel quando impetratur à persona

serabili, vel oppressa. de fo. competen. cap. ex parte Bo. vel quando iudex in prouincia non habens superiorem allegatur suspectus, vel non vult iustitiam facere: vt not. in authen. col. 9. vt differen. iudic. au. §. 1. & 2. vel in causa reconuentionis. 3. q. 8. ca. cuius in agendo, vel in cau. mortuuariorum à defunctis relictorū. au. de eccle. iur. §. si autē col. 9. vel si iudex inuocat auxiliū ecclesie. 2. q. 5. c. administratores, vel ratione administrationis assumptæ à laicis, vt not. in c. iudicatū. d. 80. vel si homines laici indebitē collectentur. 12. q. 1. cap. ecclesiarum seruos. vel si non sit iudex, vel superior in prouincia, authen. vt differen. iudi. §. si verò contigerit. col. 9. vel si nascitur ambiguitas, & magna difficulta inter iudices capi. per venerabilem. qui fil. sint legitimi. vel quando agitur per viam denuntiationis euangelicæ. capit. nouit. de iudi. vel quando causa profana est annexa cum causa principaliter spectante ad ecclesiam, cuius exemplum ponit gloss. de dote. in capit. de prudentia. de do. inter vir. & vxor. Vide de prædictis Panormitan. in di. cap. licet. & prædicta sunt vera de iure: sed de plenitudine potestatis, omne ius sub Papa versari potest: quia omnium est iudex, seruans omnia iura humana in suo pectore, & c. Est enim verus Christi vicarius, & omnium pastor.


24 IVDEX debet esse peritus. cap. seiscitatus. de rescrip. vt querere ab alijs non habeat, quicquid cum oporteat loqui. ca. ex literis. de consang. & affi. & si sit illiteratus, habeat tamen peritiam iudicandi, & tunc potest ei causa committi. C. de iu. om. in. l. certi iuris. sed iudex, maxime ecclesiasticus, esse non potest, nisi peritus saltem mediocriter in iure. cap. cum nobis olim. de electio. Ex quo infert Panor. in dict. c. seiscitatus. quod contra iudicem delegatum potest excipi, quod non possit esse iudex, quia est illiteratus, & non habet iudicandi peritiam. Cum igitur religiosi imperitiis, à sede apostolica causa committitur, potest contra eos

excipi, quod iudices esse non possunt: nisi quando certa persona daretur. Quoniam & aliqui religiosi in iure periti reperiuntur.

25 QUANDO mandatur iudici, vt simpliciter, & pure iudicet, propter hoc non remouetur ordo iuris, sed tantum perniciofa subtilitas. Ad hoc gl. in clemen. sepe. de verborum significatio. in verb. simpliciter. Si verò dicatur, vt procedat sine iuris sollemnitate, censetur amota sollemnitas iuris civilis, & canonici, non autem diuini. & iuris gentium, secundum Pan. in c. 1. de iudi. Vnde ea remouetur, quæ sunt iuris positivi. Ideo infames possunt esse testes, & personæ reprobæ. requiruntur tamen duo testes, citatio paritis, & c.

26 Si dicatur, quod iudicet sicut vult, secundum Panormitanum ibi, intelligitur dolus exclusus tantum: ideo ius alteri tollere non potest sine causa, nec contra ius naturale, vel contra æquitatem. Quod idem est in clem. pastoralis. de re iudi. Si verò dicatur, iudicet secundum veritatem, & æquitatem secundum Panor. in c. literas. de iur. cal. debet seruare sollemnitates, & rigorositates iuris positivi. Melius tamē videtur dicere domin. Anto. quod non tenetur ad rigorosas, propter hoc verbum, æquitatem, per quod videtur, quod iuris apices non teneatur sequi, non tangentes veritatem negotij, sed ciuilia iura seruare, relictis sollemnitatibus.

27 Si dicatur, iudicet, vt sibi videbitur, iudicare debet iudicio intellectu, cui congruit hoc verbum, videbitur: secundum Panor. in c. 1. de iudi. Idem si dicatur, relinquo arbitrio, vel iudicio, vel prudentiæ tuæ, quia tunc denotatur arbitrium boni viri, ratione regulari, sicut cum dicitur, sicut visum fuerit. Similiter cum dicitur: vt placuerit: vt existimauerit, & c. importatur arbitrium prædictum, non nuda voluntas. in l. fidei comissa. §. quantum ff. de legat. 3. Panorm. in ca. 1. de constit. Est text. cum glo. in c. 3. de cor. vitia.



28 S i dicatur sine strepitu, & figura iudicij, tunc omitti possunt omnia, quæ non sunt de iure gentium, vel naturali. Vide in cle. s. p. de verb. signific. Si dicatur summariè, intelligitur ut breuiter fiat, comprehensa tamen tota negotij substantia, & non omisso aliquo de substantialibus: ideo debet formari libellus, contestari lis, sententia diffinitiuè dari. Si dicatur de facto, vel postpositis remulis, & apicibus iuris, vel de plano, &c. Vide Archi. Floren. 3. parti. tit. 9. ca. 1. §. Ex dictis elice, quod si quis pactum facit cum suo factore, quod dabit salarium prout sibi videbitur, dare tenebitur ad arbitrium boni viri, secundum quod alij factores consueuerunt habere, & non pro sua voluntate tantùm. l. quod si nolit. ff. de ædil. §. quia assidua. Secus esset quando addita fuissent aliqua verba restrictiuè nudam voluntatem signantia. ut si dixit, dabo secundum quod mihi placuerit, nec plus nec minus, nec volo quod possis aliquid allegare, &c. tunc non tenebitur nisi secundum quod vult, quia scienti, & volenti, non fit iniuria, nec dolus. Et prælatus quando potest dispensare in austeritatibus, ut sibi videtur, intelligitur tamen voluntate ratione regulata, & nõ nuda. Idem quando compromittitur in arbitros, ut eis videbitur.

29 I V D E X secularis potest iudicare de his, quæ sunt peccata, ut de furtis, usuris, & huiusmodi. Pan. in c. cum sit generale, de for. competen. & coram eo potest obijci de iuramento, quando non vertitur dubium de eius validitate, ut in can. Rex debet. 23. q. 5. Si verò dubitatur an prædicta sint peccata vel ne, ad ecclesiam pertinet iudicare, qui fil. sint legitim. cap. per venerabilem. & elem. vnic. de usur. Nisi in criminæ hæretis, de quo nullo modo debet se introumittere, & nullum aliud excipitur, secundum Panor. nisi in dubio. Quomodò autem iudex ecclesiasticus habens temporale iurisdictionem, debet iudicè habere, supra. Irregularitas. §. 18. Quomodò malus iudex peccat iudicando subditos,

supra. Correctio. §. 10.

30 I V D E X tenetur compellere aduersarium ad præstandum cautionem de non offendendo actorem, vel suos, quando verisimiliter timens imploret eius officium, est textus in lib. denunciatus. C. de his qui ad eccl. confugi. & ibi per Cyn. & cano. de benedicto. 32. quest. 1. & in cap. literas. in fin. de resti. spol.

31 I V D E X non potest totaliter relaxare pœnas reorum, quia secundum Thom. secunda secundæ. quæstion. 6. a. 7. impeditur. Primò, ex parte accusatoris, ad quem aliquando pertinet ius, ut reus puniatur, ut ratione iniuriæ illatæ, tunc non potest remittere, quia tenetur ius vnicuique reddere. Secundò, ex parte reipublicæ, ad cuius bonum spectat, ut malefactores puniantur, ideo inferiores iudices non possunt pœnas taxatas à superiore remittere. Superior verò potest, cum viderit expedire, & cum passus iniuriæ velit ius suum remittere, & etiam si nolit, & hoc bono communi expediat, potest princeps: nec inferior minuire potest pœnam taxatam in iure, quando est certa, sicut potest princeps, neque augere, sicut nec delegatus procedens ordinariè, ut not. in ca. de causis. de offic. de leg. secus si procedat ut extraordinarius lib. quid ergo. ff. de his qui not. infam. & Panor. tan. capi. 2. de empt. & vend. Si verò pœna non inuenitur taxata in iure, committitur iudicis arbitrio. cap. fin. de transla.

32 S i quis accusatus sponte, & non metu probationum confitetur, de metu vtriusque iuris est, ut pœna dimittatur, vel minuat, nisi anima, vel ecclesiæ periculum immineret, secundum Hosti.

33 A V G E N D A est aliquando pœna ad terrorem cæterorum, qui ad culpam proni inueniuntur, quia multis præstantibus, opus est exemplo. l. aut facta, ff. de pœnis. §. final. & hoc secundum Angelum, eo modo quo de diminutione dictum est. Sed melius est, dicere posse fieri indistinctè, secundum alios.

34 **P** O E N A M dimittens in casu non sibi concessio, vel diminuens, secundum Thomam supra, tenetur communitati, vel accusatori, si ad eum pertinebat ut puniretur, si vero auxit, tenebitur teo, si tamen sine rationabili causa fecit.

35 **N** V L L V S iudex Christianus confessionem negare debet parato facere debitum suum, & petenti: secundum Pet. de palud. 4. sentent. dist. 22. etiam si timeret, quod auferretur, quia utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas derelinquatur. cap. qui scandalizaverit. de re iudic. nisi crederet hoc spe ereptionis fieri. & non ex deuotione: quod potest presumi, quando non petiuit in carcere, & post petiit sub furca, vel ante patibulum. Cum etiam relapsis concedatur penitentia, & viaticum, si petant.

36 **S** I iudex nouit aliquem esse in veritate innocentem, & tamen testes probant, & aduersarius instat, debet illum condemnare: secundum Thom. secunda secunda. quaest. 67. art. 2. & quaest. 64. art. 4. ubi dicit, quod iudex in iudicando debet sequi legitima documenta, per instrumenta, testes, & huiusmodi, magis quam id quod ipse nouit, tanquam priuata persona. Potest tamen iurari ex priuata cognitione, ut cautiùs discutiat probationes, & inuestiget earum defectum: quas si non potest iure reprobare, nec modum liberandi innocentem inuenit, debet eum ad superiorem mittere, si habet, & possit. Si autem non vult, vel non potest mittere, & pars instet, debet ipsum condemnare, quia talis, etsi secretè sit innocens: non tamen in foro extrinseco, nec iudex illum occidit, sed testes, & iustitia, cuius ipse minister est: nec tenetur renuntiare officio, si non vult. Debet tamen facere omnia, quae scit, & iuridicè potest, ut saluet innocentem. Hanc viam sequitur Caiet. ibi. secunda secunda. quaest. 67. art. 2. & vniuersaliter doctores, quae determinatio ortum habuit ab Ambrosio super Beati immaculati. ideo tenenda tan-

quam vera, & iusta.
37 **C** A R N I F E X occidens innocentem, quem scit iuste non condemnatum, non valens subterfugere sine inobedientia, non peccat per eandem rationem, quia exequitur iustum iudicium. Similiter si dubitat de sententia iniusta, non peccat, quia ipse non interest discutere superioris sententiam: secundum Thom. secunda secunda. quaest. 64. art. 6. ad 3. Si vero sententia contineret intolerabilem errorem, quae ipse sciret, ut si quis condemnaretur ad mortem, quia coluit Deum, ut sancti Martyres, tunc nullo modo potest exequi sine peccato mortali. & alij ministri eodem modo cooperantes in mortem innocentis, peccant. Magis debemus obedire Deo, qui dicit innocentem occidi non debere, quam principibus.

IVDICIVM.

I V D I C I V M factum à iudice ex leui suspicione, de aliquo graui: secundum Thom. secunda secunda. quaest. 60. art. 3. est peccatum mortale: secus ex violenta suspicione. canone, dicit Dominus. 32. quaestione prima. & hoc quantum ad exterius iudiciu ad quod iudex procedit. Temerarium est enim aliquem ex leui suspicione condemnare.

I V D I C I V M debet fieri secundum leges scriptas, quia iudiciu nihil aliud est, quam definitio eius, quod est iustum. Fit autem aliquod iustum, vel ex iure naturali, vel ex iure positivo. Leges autem scribuntur ad vtriusque iuris declarationem. Ideo iudicium secundum leges scriptas procedere debet: secundum Thom. supra. ar. 5. dummodò talis lex non deficiat à iusto naturali, vel positivo: quia si lex scripta contineret aliquid contra ius naturale, esset iniusta, nec vim obligatiuam haberet, nec verè diceretur lex, sed legis corruptio: ideo secundum eam non esset iudicandum.

N O N semper iudicandum est secundum verba legis, sed magis secundum intentionem conditoris legis, qui si adesset in aliquibus casibus, aliter defini-

B

defini-